

Lewenhaim, Phil. & Med. (Sachsis.) 1673. Nov. 4.
Bonae, anno magd.

ORATIO NUPTIALIS

Nobili, Clarissimo, Experientissimo Viro,

Dn: PHILIPPO

JACOBO SACHSIO

a Lewenhaimb Philos. & Med.

Doctori,

Et Nobili, Elegantissima, Pudicissimaq; Virgini,

ANNÆ MAG-

DALENÆ BENCKIÆ

Florentissimis Sponsis,

Pridie Non. IXbres A. C. MDCC LIII.

Die Nuptijs festâ

ex Officio Amicitia


dicata, consecrata



à

CHRISTOPHORO COLERO.

BREGÆ Typis, CHRISTOPH. TSCHORN.



quid in me ad dicendum promptioris

isset naturæ, quam tamen lentiolem esse novi, aut si quid curæ, quæ & in Artis Oratoris præceptis, & in usu ac exercitatione occupatur, in quâ per tot annos me versatum esse non diffiteor, aut si arti huic aliqua civilium rerum scientiâ adjuncta, earum rerum non exiguum fructum, utriusq; Phœbi pulle. PHILIPPE JACOBE SACHSI, à meâ manu ferres. Nam

quoad prope ultra tria lustra mens mea respicere potest & pueritiæ ac adolescentiæ tuæ memoriâ recordari solet, video te olim in Gymnasio nostro Elisabethano præter capacis ingenij docilitatem, quâ non solum omnia quæ, publicè privatimq; tradebantur facilè imbibisti, incitatum discendi ardorem quo, celeriter & feliciter omnia arripuisti, præ te semper tulisse, quo Rationis & orationis opes, Palladis & Mercurij artes, suavissima & maximè concinnâ harmoniâ conjunxisti, & Veterum Exemplo, quod difficillimum quidem, sed pulcherrimum est, Hermathenam constituisti. Negocij vero pondus ideo gravius Tibi existit, quia in ea natus eras tempora quibus tam docti, tam prudentes, tam diligentes Doctores & Ductores Tibi contigerunt.

Quorum agmen ducit venerandus Senex verus Patriæ suæ Epicharmus ELIAS MAJOR, quem in Humanitatis, Græcæ & Latinæ ac Rationis studijs; cui succenturiati hi clarissimi Duumviri & Affines, nempe CHRYSOSTOMUS SCHULZIUS Jctus & fulminans Vratislaviæ Pericles, quem in Eloquentiâ Tullianâ & Ethicis, & JOHANNES FECHNERUS inter inconditos tot Anserum strepitus Diræus Silesiæ Olor, quem in Poësi & Physicâ, singulos Duces & moderatores habuisti.

A me quidem omnium minimo præeunte & Eloquentiæ & Scientiæ Civilis & Juris Publici Elementa haurire voluisti; raro prorsus exemplo, qui cum, ad Medicinæ Mysteria primario destinatus eras, tamen Juris consultorum & Politicorum, Sacra accedere non abhorruisti.

Nam Corpus Reipubl. totum & per partes cum corpore humano ab Historicis & Politicis bellè comparatum esse, ex monumentis litterarum perspicere licet.

Ac Archiatros non tantum Valetudini corporis, quam etiam Reip. curandæ, si modo civilium rerum, hominum

& mo-

& morum apprimè gnari sint, in Aulis non rarè Præfectos fuisse, compertum habemus. Quis nescit olim in Augusta Divi Maximiliani II. Imp. Regiâ magnum illum JOHANNEM CRATONEM; (CATONEM propè dixerim Christianum) in Aula Archiducali CAROLI Archiducis Austriae & Præfulis Vratislaviensis Avum tuum maternum DANIELEM BUCRETIUM; & in Bregæa Aula recentius CASPARUM DORNAVIUM & Medicum, & Politicum ambidextrum; omnes & Archiatrorum & Consiliariorum officio benè & laudabiliter functos esse.

Quia vero, amicissime SACHSI facili Tuo & fertili ingenio assiduitas laboris & indefessa industria à pueris adjuncta fuit, cum Tibi constaret DE OS hominibus bona sua vendere instar sedulæ apis & laboriosæ formicæ, in vere juventæ congestisti ea, quæ in vitæ autumno & Hieme Tibi multum alimenti & nutritionis præbeant.

Ac ex immodicâ Tua discendi cupiditate Præceptores tui, veri vates de Te hoc prælagium protulerunt, Te aliquando virum fore eximium ac egregium. Quemadmodum enim Aquileges aquas subesse conjiciunt, ubi vaporem primo mane attolli conspexerint: ita ex prævio illo studiorum ardore, non immerito de luculentæ & multijugæ eruditionis & maximarum virtutum scaturigine ampla spes concipitur: Quâ ex re, in pueritia nobilis inter æquales ferebaris, clariusq; exsplendescabas, quam generosi condiscipuli animo ferre æquo possent. Itaq; incitabas omnes doctrinæ studio & vitæ modo: quos placidâ consuetudine & modestia animi sic Tibi devinxisti, ut nemo ijs Te charior, Te jucundior fuerit.

Hæc sanè genuina fuit causa, cur præter alios, ego Præceptor tuus Te peculiari affectui seposuerim, & reliquis in exemplum, quod sequantur, proposuerim: Ignorantia, certè recti, aut invidia & injuria virtutum sit, si æmulus aliquis illustrem famæ tuæ solem exstingvi credat, cum nova quædam stella Lumen suum spargere incipit.

Quem admodum enim Livianus ille Senex Q. Fabius olim se gloriæ Seniorum succrevisse, meminerat, & ad suam gloriâ consurgentes alios Juvenes lætus aspiciebat: ita ego quamvis in producendis ingenijs & fovendis Litteris conatum quidem meum longæ pluri quam effectum existimem; tamen hoc jure cum alijs supra laudatis Collegis mihi honestè arrogare possum, quod in tuo ingenio excolendo & producendo allaboraverim.

Ut enim nullus Architectus quid ex superstructâ mole gloriæ lucrifaciet, nisi prius probè locatum sit fundamentum, & basis supposita: ita vix aliquid famæ gloriæq; à tuo ingenio & Philosophi & Medici foris nacti fuissent, nisi nos elementarij magistri prima studiorum liberalium fundamenta probè collocassemus.

Cum autem nulla commodior occasio, nec amplior lætitiæ testificandæ materia sit, quam in hâc nuptiali celebritate, in quâ hæc auspiciata tua felicitas multum tripudij Cognatis, Affinibus & Litteratis Amicis tuis sit allatura: meum quoq; esse putavi, inter tot lætantes

A 2

& gra-

547024

& gratulantes, & laborantes, more Diogenis Cynici, ingenij mei, ut ita dicam, doliolum vertere.

Jucundum auditu est quod Poëtarum fabulæ tradunt in connubiali Cadmi & Harmonies amabiliissimi Sponsorum Paris festo, totum Musarum chorum, cum Gratiarum trichordo applausisse, ac universum Deorum Dearumq; Concilium partim interfuisse, partim præfuisse. Alium Deorum tubam intonuisse; alium tibiam inflasse; aliam lyram pulsasse; alium aliud instrumenti musici genus tractasse; ac nominatim Mercurium Hymenæum tractasse; alium choreas agitasse; alium hospites & convivas delenificis verbis & blandis alloquijs, tanquam stimulis & incitamentis ad gaudia & juba sollemnia excitasse.

Simili modo cum Patroni & Amici Nuptias vestras certatim celebrent alius Latino, liuas Germanico, alius heroico, alius elegiaco, alius lyrico carmine, ego Oratione prolâ, mediocri & æquabili caractere composita, illud condecorare accessi. Cogitanti autem mihi quid in latissimo affluentium argumentorum campo deligerem, & quid primo, quid medio, quid ultimo loco collocarem, sententia tandem fixa sedit, totam materiam ad tria capita contrahere: Quorum primum est *summariū Nuptiarum & Conjugij Elogium*: alterum *compendiosa Sponsi & Sponsæ laudatio, & simillime utriusq; convenientia*: postremum, *Votum pro felici Connubij hujus Medici successu*, nuncupatum.

Cum indecorum sit, quasi per saltum non salutato vestibulo per ipsam palatij Januam irrumpere, aut ne tactis quidem primis liminibus interiora augustæ alicujus structuræ Conclavia petere, ideo libet Philosophos sequi, qui rem aliquam initio vel imperfectius describunt, aut accuratius definiunt; cum cujusq; rei descriptio, aut Definitio sit potissima pars per quam cognoscitur, non aliter ac per caput Homo, omnium animantium, Rex & Imperator.

Qui rem summatim describunt, Conjugium alij fœdus indissolubile, alij Conjunctionem sanctam & inviolabilem, alij vinculum indissolubile; alij irruptam copulam, alij aliter appellant.

Sapiens vero Ludovicus Vives alter Hispanorum Seneca in pio, utilissimo & salutari *De Officio Mariti* opusculo, illud ita definit: *Conjunctio est unius viri & unius fœminæ ad convictus communio, nem q; vite totius, legitima conjunctio*. Nimirum non vagas esse libidines debere,

& concubitus quales sunt brutorum rationis lumine carentium: sed ex lege divinâ & humanâ licitum & concessum consuetudine & ritu patrio receptum congressum.

Ac ne quis alienam pacem quietemq; per injuriam & cum discrimine interturbet, neve sese spurcis cogitationibus, fœdis illecebris, dictis & factis licentiosis contamine & commaculet, *satius est*, ex Paulino placito, *Uxorem ducere, quam uri*.

Sicut enim herba, vel radix, vel legumen aliquod, alijs est cibus & obsonium quotidianum, alijs medicamenti loco exhibetur: ita Conjugium quod à principio naturæ existit & propagando generi humano di-

vinitus

vinitus repertum & constitutum incontinentibus & libidinis indomitæ hominibus pro remedio incurabilis aliouin morbi adhibitum est, Hujus vero fœderis sanctissimi primos Auctores, alios Pagani, alios Christiani fecere. Illi quidem Deorum suorum hoc arcanum societatis maritalis adscribere; qui nempe humano generi nuptias suo exemplo ostenderint. Ac inprimis Deorum Hominumq; Regem *Jovem Op. Max.* cum Junone Regina, qui ipsi se copularint auctorem dicunt; quorum ille quidem communis omnium Pater, ista vero *Juga*, quod marito fœminam conjugio stabili jungat, nuncupatur.

Ab illis creditis Deorum Principibus reliquorum fictiorum Deastrorum, qui Nuptijs præesse dicuntur, ac Nuptiales Natalesq; appellantur, cœtus in mortalium vitam prodijt. Nec aliud quicquam præter Nuptias causa & origo est, quam quod Dij illi tanquam Præsides ac Præstitites Nuptiarum nominentur & colantur. Alij fabulosam ita confingunt Historiam, quod nimirum statim post Chaos digestum, Natura sive Amor, nubendi morem induxerit; Jovi initio cum Junone suâ regium conciliârit Conjugium: postea id ipsum alijs majorum gentium Dijs blandis modis persvaserit: imò & Semideis, ut sibi Nymphas jungerent, svasor extiterit.

Alij etiam somniant Dionysium illum hilaritatis effectorem primò inter mortales matrimonium induxisse: quod inde fortassis fictum, quod homines Cereris & Liberi lautitijs & delitijs repleti à Veneris igne incalescere & licentiosius agere incipiant.

Hoc siquidem beneficio illum de universo genere humano melius meritum, quam curiosum ardelionem Prometheus, qui ignem in Deorum regia malis artibus surreptum fictis suis hominibus monstris monstraverit.

Hinc fabulantur nuptijs plenum esse cælum, plenum aërem, plenas terras, plena maria: DEOS Superos cum Superis, medioximos cum sui similibus, inferos cum suis commisceri.

Absq; nuptijs nec Philosophiam, nec universum scientiarum & Artium Orbem, nec Leges, nec mores, nec sacra & profana, nec publica atq; privata, nec pagos, nec Urbes, nec provincias, nec Regna, nec totum genus humanum stare posse.

Volatilia enim, illos aëris cives huic Legi ab almâ Venere subjeci & temporis annui tetrachordon & experientia ac usus rerum abundè monstrant.

Feras etiam efferas & indomitas, cicuria etiam animalia, in desertis locis, silvis & nemoribus, campis & pratis ad Venerem ferocire, & luxuriare quis est qui nesciat? In mari etiam immensas balænas & ingentia Cete, quæ Comicus Neptuni pecudes festivè appellat, ad amores ferri & rapi, maritimarum rerum periti affirmabunt.

A fluvijs etiam ipsis occultos amores exerceri, vel id argumentum est, quomodo Alphens Elidis amnis occultis sub mari vijs in sinum Arctusæ suæ Siculi fontis influit eiq; permiscetur.

Ac præter animata quæ sensum habent, in Vegetabilibus etiam Venus regnat. Nam nec ipsas arbores, nec

A 3

plan-

plantas, nec herbas Conjugij esse expertes, diligentissimi Naturæ Consulti observarunt. Christiani vero è verissimis Sacræ Scripturæ Pandectis melius illuminati DEUM unum, illum æternum & omnipotentem Conditorum hujus universi unicum Authorem Conjugij faciunt, qui hominem primum, Adamum à condito mundo ex limo terræ creavit, eiq; ex costâ viri Evam Conjugem Adjutricem initio in secundis solum, sed post lapsum in adversis æquè ac secundis individuum Sociam & Comitem perpetuam formavit. Quod vero Conjugium in certum & fructuosum finem sit ordinatum, *Vives* addit; *ad convictus vitæq; communionem.* Multa sanè ad Nuptiarum & Vitæ Conjugalis laudes spectantia congesserunt veteres & recentiores Gentiles & Christiani qui de bono matrimonij litteris prodiderunt.

Quorum utiles labores & eruditas curas nunc non expilo, sed prudentissimo cuiq; Lectori legendas committo. Quamobrem missis disertis aut disferendis, ut ad Te, *florentissime Sponse*, me convertam credò Te nosse Conjugia divinitus prævisa & destinata esse ac ideo superatis studiorum laboribus, & impetratis meritissimo tuo Docturæ in Philosophia & Medicina Honoribus Summis, nihil aliud cogitasse, quam de Uxore & socia secundorum & adversorum perpetua, ducenda. In hoc curarum, æstu & cogitationum fluctuatione, DEUS Sator & Stator Conjugij oculis animoq; tuo offert, ingerit & penitus insinuat florentissimam ætate, formâ, corporis & animæ dotibus excellentem Virginem ANNAM MAGDALENAM BENCKIAM Optimorum Parentum simillimam filiam, quæ tibi soli sola præ domesticis & exteris propositis nymphis placuit. Tu enim, divinæ & humanæ Sapientiæ studiosissime SACHSI, optimè suis ex causis cognosti quomodo non sit bonum hominem esse solum, & de adiutorio in domesticis curis assumendo, annuente DEI, tibi prospexisti.

Hominem ad Societatem natum & factum esse eo ipso doces, qui cœlibatus solitudinem pertæsus in Conjugalis Ordini numerum Te adscribi passus es. Si enim bruta, si plantæ & arbores sociali quodam vitæ genere gaudent, quidni & homo & præcipuè is, qui naturæ secreta & mysteria tam exactè indagavit, ut Tu, eò feratur? Quis unquam boni Reipubl. moderator aut bonus & utilis Reip. civis exstitit, qui de suscipiendâ prole & liberaliter educandâ non cogitavit? Quis Sapiens unquam à Conjugio abhorruit? Imò quis ab Academiâ, à Porticu, ab Horto, aut severiore & rigidiorè Stoa, aut austerâ Cætonum familiâ barbâ & supercilium, tori Legibus uxorijs osculis & amplexibus non submisit? Cum omnibus Philosophorum sectis & domibus commune sit, quod communis hominum parens, & naturæ ac amoris auctora tam altè insinuavit, in sevit, indidit, ut hominem penè omnem & quicquid in eo masculinum est exuisse videatur, qui gratæ illius copulæ dulcedine non permulceatur? Quid enim suavius, quid dulcius, quam cum eâ vitam

& ætatem

& ætatem suam transigere, quæ non animorum solum, sed & mutuâ corporum communione Tibi vinculo tenacissimo & quasi adamantino est coarctata? Cui tua cogitata, consilia (quatenus licet) communicare, sermones recipere, cum quâ quasi ipse tecum loqui poteris: In cujus sinum intimos animi affectus, curas secretiores, ægritudines animi & corporis tuto depones: quæ te unum loquetur, spirabit, amabit, cogitabit: à Te solo dependebit, tecum vivere, tecum emori optabit; quæ domi sanum & incolumem ex intimo animi recessu esse gaudebit, & quantum humanitus fieri potest, servabit; afflictum solabitur & sectabitur moerentem & anxium refocillabit.

Quæ continua sua præsentia, blando alloquio, joci liberalibus sollicitudines ejus tanquam mentis nebulas & nubes vultus sui serenitate dispellet. Quæ domo egredienti osculum, amoris & benevolentia obfidem, impinget; egressum foras oculis comitabitur, animo prosequetur, absentem desiderabit, redeuntem basilis excipiet, & arctis amplexibus retinebit; & quas alias amoris delicias & invitamenta ac sollicitudinum allevamenta propinabit. Sed satis me de Nuptiarum laudatione & Conjugij commodis dixisse puto: nunc ad alterum materiae susceptæ caput progredior,

Cum amantium maxima cura sit noscere imaginem redamantium, aut figuram corporis, animi, fortunæq; dotes, *elegantissima Sponsa ANNA MAGDALENA*, Tibi Sponsum tuum non graphicè quidem expressum, sed saltem adumbratum picturâ loquente, exhibebo.

Ut igitur à Patria & genere incipiam cum duplex sit nobilitas una publica, nempe loci, ubi quis natus, civitatis alicujus pura aut regionis; altera privata familiaris & Majorum, *Tuus ille, amabilissima Virginum, Sponsus*, & privatim egregiè nobilitatus est. Patria enim ei contigit non ignobilis vicus aut villa obscura, sed Silesiæ provinciæ nobilissimæ, à tot Principibus privilegijs & prærogativis ornata, Metropolis & Urbium mater *Vratulavia*: de quâ quod Salustius de sua Roma invidendâ olim dixit, ego dixero, *melius esse sileere, quam pauca dicere*: quia quicquid dixero, minus erit.

Privatim vero *Sachsio Tuo* nobilitas contingit antiqua & luculenta. Nam si *paternum* genus illius consideremus, natus est Patre nobili, spectatæ probitatis & prudentiæ educumata Viro, *TOBIA SACHSIO* à *Levrenhaim* in parva *Brisa Domino*. De *Sachsianæ* familiaris paternæ & maternæ celebritate, quia majorum ætas paulo incutiosior suorum plerosq; fama dignos posteris indictos reliquit tantum laudes & virtutes avitas, eorum qui in posterorum memoria & fide consistunt, ex vero referemus. *TOBIÆ* itaq; *Sachsio* obtigit Patria *Jauraviensis Ducatus*, oppidum olim metalli fodinis, nunc agrorum cultura, proventu pascuorum, lanificij ac liniticij præstantia & hortorum amœnitate celeberrimum: ac imprimis à multis annis Ingeniorum eminentium proventu cum paucis alijs *Silesiæ Urbibus*

bus comparandum. Ad generis & sexus melioris commendationem facit quod avus paternus ei fuit Vir antiquâ virtute & fide JEREMIAS Sachsus amplissimus Patriæ suæ Senator, donec anno ætatis suæ LXXV. spiritum suum de Patria benè inertium DEO Servatori suo reddiderit. Hic fratrem habuit ERASMUM ferocissimum Martis pullum, qui Divis Augg. Imp. Maximiliano II. & Rudolpho II. in Hungariis contra juratum Christiani nominis hostem bellis, prodigus magnæ animæ pro Dei, Cæsaris & Patriæ gloriâ & salute tam strenuam in militia operam navaverit, ut non tantum in castris inter Commilitiones emergerit, ac in magnâ Ducum ælimatione fuerit, sed etiam ipsis Cæsaribus laudatus & commendatus suæ familiæ prima Honorum fundamenta altius crescendi posuerit. Filium vero JEREMIAS ille Sachsus reliquit ESAIAM (TOBIÆ adhuc superstitis Patrem) paternæ indolis æmulum; qui in Patria Leobergæ Schola artibus pueritiæ & adolescentiæ bene instructus in Academiis missus est, ut ibi in assibus Philosphiæ & Theologiæ disciplinis perfectius instrueretur.

Quo factis in Patriam reversus & monstratis profectuum suorum Speciminibus, in vicino Leobergæ pago (quam Provinciam vulgo *Preposituram Zobtensem* vocant) Pastor verbidivini constitutus est. Ubi piè docendo piè monendo & piè vivendo consenuit, & annum ætatis simillimum paternæ LXXV. habuit. Ex Matre vero MONICA POMERANA aut prisco nomine WIRCHOVIA (nam provinciæ illius nomen unde digressi ejus majores, obliteravit apud nos gentilitium) matronâ omnium muliebrum virtutum decore conspicua TOBIAS Sachsus susceptus est.

Hæc Patrem JOHANNEM *Pomeranus* habuit, virum amplissimum & Reipubl. Leobergensis Senatorem habuit, qui non saltu sed gradu per omnes magistratus urbani potestates & functiones progressus ad Summi Consulatus, ut honoratissimum, ita laboribus & molestiis oneratissimum officium emerfit, & per integros L. annos Senatoris honore & onere defunctus, verè Macrobius (quod & Pomeranæ & Sachsiæ familijs non infrequens fuit,) annos sex supra nonaginta natus, ex hæc ærumnosa vitâ in quietem transijt. Illius *Monicæ* frater TOBIAS ad miscenda Martis, Palladis, & Mercurij studia natus, primis annis variè profuit. Nam initid cum cruda adhuc ætas fervorem nondum decoxit Regi Hispaniarum Philippo II. in bello multum operæ & bonæ fidei præstitit. Postea dum ratio & maturior ætas ferociam animi paulò mitigavit in Patriam reversus est, ac cum fama ipsius ad aures Principum venisset, CAROLUS II. Monstbergensium & Olsnensium Dux Princeps prudens & circumspectus filio unico HENRICO-WENCESLAO (quem ex priorè Conjuge suâ Perillustri Heroinâ CATHARINA de Bregâ & Dubâ Domina Stern-

na Sternbergæ susceperat) ad exteros ituro hunc Mercurialis ingenij virum TOBIAM POMERANUM præfecit. Qui in toto illo itinere curriculo Principis sibi commissi eam rationem habendam esse duxit, quia salvo eo, salva quoq; & perditio vel amissio Patriæ Resp. & Domus Munsterbergica lubrica foret. Sed cum Principes æquè (sicut DEO visum) ac cæteri mortales domi & foris sint morti obnoxij, Tobias ille *Pomeranus* Ducis Caroli II. jussu Principis Germanicæ Juventutis *Henrici Wenceslai* Romæ VI. Idus Octobres Anno superioris seculi nonagesimo primo piè defuncti cadaver principali ritu inunctum & probè munitum in Conditorio Majorum suorum deponendum, in Patriam retulit, ac de eo præstito obsequio multum gratiæ Aulicæ reportavit. Idem Tobias *Pomeranus* tanquam Ithacus ille Ulysses diuturnus peregrinator Perillustribus PROMNICIIS & ULRICO CAUNITIO Dynastæ Moraviæ peregrè ituris dux & moderator in studijs & moribus fuit. Sed ut ad TOBIAM SACHSIUM à quo paullo digressus sum, regrediar is à Reverendo suo Patre ESAIA SACHSIO & honestissimâ MONICA benè natus & educatus in Patria Schola salubriter artibus salutaribus præformatus est, & cum Perillustri Dominus ULRICUS *Caunitius* Baro Moraviæ Generosissimos suos Filios FRIDERICUM & CAROLUM Leobergam Latinæ & Germanicæ Lingvæ discendæ causa mitteret, iisdem ad studia & peregrinationes adjunctus est. Hos in Patriam revocatos TOBIAS SACHSIUS secutus est, & ibi in Moravia per biennium commoratus, postea in Scholam *Herbornensem* & Academijs *Marpurgensem* & *Giessensem* illos ipsos insecutus est. Cum vero in prociectu peregrinationum essent, *Basileæ* minor natu *Carolus* crudo fato præreptus est; unde Sachsus deposita hæc Spartâ in Patriam suam reversus est. Sed non diu apud suos defedit, ideo à Patre suo primo *Halam-Saxonum* ad propinquum suum Amplissimum, Consultissimumq; virum JOHANNEM NEIGENFEINDIUM *Cammeræ Spirensis* Advocatum missus est; apud quem per integrum semestre spatium commoratus, *Lipsiam* se contulit decimo hujus seculi anno, studiorum maturandorum causa. In Academiâ autem *Lipsiensi* civilis doctrinæ studijs partim operatus, partim senatui *Lipsiensi* à Secretis Epistolis scribendis fuit, ubi Consultissimo Viro REINARDO ROSÆ Jcto familiariter innotuit, qui paulò post à Magnifico Senatu *Vratislaviensi* Syndicus electus hanc provinciam suscepit. Redux autem SACHSIUS in Patriam *Breslam* Hospitalem Patronam invenit, ubi cum virtute dextrâ fors ipsi triplici matrimonio favit, Quæ sin-

gula Conjugia ad majora nitenti semper infigne decus & solidum robur fuere.

Cumulum etiam honoris addidit illi Amplissimus Inclutæ Vratislaviensium Reipubl. Senatus, qui observata viri prudentia, fide ac peritia Oeconomica ei Spartam publici ærarij commisit: quam insigniter ornans multos annos feliciter sustinuit, donec fessus laboribus & senio ante aliquot annos dimissione impetratâ ad secessum rusticanum tanquam nidulum Senectutis suæ se contulerit.

Si vero *maternum generosum prænobilitum RINDFLEISCHIORVM* seu *BUCRETIORVM* genus contemplemur *Sponsus tuus, Nobilissimus Danielis Bucretij summi & Philologi & Philosophi & Medici Nepos* est. De quo Viro & Semone plena sunt Poëtarum myrothecia, plena Oratorum præconia, plena præsentium & superstitum testium merita & documenta. Ex quorum innumeris Elogijs mihi consummatissimi Viri NICOLAI HENELII Jcti & Vratislaviæ Nestoris eloquentissimi ac prudentissimi hoc Epigrammation arridet:

Quantum hodie Medicum est, cum prisci cedite cuncti:

Mihi unus instar omnium est BUCRETIUS.

Et Johannis Hermanni Theologi & Poëtæ celebris hoc monostichon:

Tu solus Medicis, Apollo Musis.

Bucretij autem minima nati filia URSULA Sponso Mater obrigit, quæ marito suo crudo fato in flore ætatis prærepta, duos surculos PHILIPPUM JACOBUM & ANNAM URSULAM impuberes reliquit pupillos. Quam subitam mortem vitrum in Convivio Amicis nonnullis apparato sine tactu confractum portendere videbatur. In quem casum ego Disticho hoc tum ita allusi:

Humana vita vitrea est,

Cum splendet, ictu fortuito frangitur.

Hic possem in latissimum Rindfleischianæ familie campum discurrere, quæ in Lusatia, Silesia, Helvetiâ, Polonia, & Brabantia dispersa, fixas habuit sedes, nisi brevitatis ratio habendâ esset, & illius originem, progressus, & mutationes ante hoc biennium in *Nuptiali Oratione*, Politissimo & Consultiissimo Viro CHRISTIANO BENJAMINI ALBERTO, dicata, ubertim deduxissem. Ipsum itaq; Sponsa, tibi Sponsum hoc est ejus ortum, pueritiæ, adolescentiæq; studia, & mores atq; præmia laborum summam delineabo. Cum Anno hujus seculi XXVII. VII. KAL. VII. Bres primo genitus gemellus (alter TOBIAS paterni nominis vix quindecim

quindecim septimanas super fuit) divina favente gratia in hanc lucem editus esset, statim puellus Lacte materno bonæ indolis paternæ & avitæ semina imbibit, ac in teneris annis Pædagogis & morum custodibus traditus est.

In puero statim eluxit Ingenium avitum, & ad excogitandum acutum & sagax, ad explicandum animi sui sensa facile, ad studium incitatum & docile, ut celeriter lecta & audita perciperet & fideliter retineret.

Ut vero primum ex pueris excessit, atq; ab initialibus & instrumentalibus, ut vocant, lingvis & artibus haustus se ad legendi & scribendi exercitia contulit, & publicè privatimq; specimina tam in prosâ quam versa Oratione dedit, geminis hæc naturæ & curæ alis sese in altum tollere, & plerisq; condiscipulis suis ingenij gloriâ, artium præsidij, & exercitationis subsidij præcellere cepit.

Quapropter non communi more, vel potius morbo juventutis imperitæ, cruda studia in Academias propulit; sed cum sciret ex Tullij sententia, *Omnes artes quæ ad Humanitatem pertinent, habere quoddam commune vinculum & quasi cognatione quâdam inter se contineri.* hæc in re nihil in se desiderari voluit.

Quare in *Academia Lipsiensi*, in quam Patris, Præceptorum & Amicorum consilio primum Anni hujus seculi MDCXLVI profectus erat, ab Humanitatis studiis, 1646.

quorum in Patria probè fundamenta jecerat, ad masculæ Philosophiæ & deinde ad severiora & graviora Medicinæ studia, animum addixit; cum probè sciret Medicinæ magnam affinitatem esse cum Philosophia. Ac 1647.

ventente anno *rimam in Philosophiâ Lauream* adeptus est; quo ipso etiam *Symposium Philosophicum Nutritionis Physicæ* varios Missus exhibens, sub Præsidente Eximio Viro JOHANNÉ WALTHERO, ut domi apud suos Patronos testimonium ederet, instituit. Ubi etiam post missus semotos inter Bellaria hanc Quæstionem adjecit: *An Medicus quis quinon simul Philosophus esset?* quod ratione firma fortiter negavit.

Quia vero facilius crescit dignitas, quam incipit, anni sequentis auspicali mense *Supremos in Philosophiâ Honores*, (quos *Magisterij* nomine designant) & laboris & industriæ præmia ibidem *Lipsiæ* nactus est. Nam Gradus Honorum publicè collatorum testimonia sunt profectuum editorum.

Currentis Anni, Majo mensium pulcherrimo ipse *Auctor & Præses* Exercitationis de *Anthropologia* fuit, quam Amplissimis Præsidiij Scholastici Triumviris *Theodorico Garzio, Casparo Kretschmaro, Vito Rötelio* ac prudentissimis Duumviris Reip. Consiliarijs & Syndicis *Johanni Peinio & Nicol. Henelio* Jctis, dicavit & consecravit. Idem insequente Octobri ejusdem anni ex merito Virtutum, in numerum *Collegiatorum Collegij*, ut vocant, *Majoris Principum* receptus est: quod ex veteri Saxonæ Tutani Friderici II. Septem viri, fratrisq; ejusdem

dem Guiliemi constitutione quatuor Nationes, videlicet Misnenses, Saxones, Bavaros, Polonos (sub quibus etiam Silesij continentur) admittit. Collegis itaq; bonâ fide commendatus, & transmissâ Electoris Confirmatione, ac Juramento prius præstito in amplissimum illum Ordinem **1649.** admissus est, Hinc Anno quadragesimo nono *Medicam* Diatriben de *Phthisi sub Rectorum Academiae Lipsiensis Magnifico, Johanne Hoppio Phil. & Medic. Doctore, & venerabilis Facultatis Medicæ Seniore, Affine Suo* observando & per quadriennium ferè Hospite, Publico Judicio submisit. Illam, ut gratum suum animum pro collato in se beneficio testificaretur *summo Protosynedrij Saxonici Præsidi Friderico Metzfio & venerandis amplissimiq; Assessibus ejusdem Jacobo Wellero Principi Sacrorum in Aulâ, & Ægidio Strauchio urbano Ecclesiæ Dresdensis Pastori, Friderico Tüntzelio & Johanni Ludovico Köppelio Jcis & Consiliarijs Electoralibus*, inscripsit. De quo ingenij diligentiaq; specimine edito *Johannis Michaël Phil. & Med. D. & Professor hujus primarius (cujus Ingenio, ore, & Judicio familiariter Sachsus usus est)* hoc quasi verus vates prædixit.

*Dicéris Patria doctus, & Hospiti
Gratus Saxonici nominis Arbiter*

*Quam remcunq; tuis ausibus aut ope
Tractandam modo cæperis.*

Cum autem Medico perceptâ Theoreticâ Scientiâ ad Praxin auspiciandam, opus est nutricula Prudentiæ Practicæ, quam peregrinationem nuncupant, *Sachsus* jactis prius utriusq; Medicinæ fundamentis Lipsiâ movens, in alias terras & loca remotiora digressus est. Nam lustratâ prius *Dresdâ* Sede Electorali, Armamentario, Technimatophylacio & Equili nobilitata, ac Archiatri *Cassaro Svevo, Laurentio Papa, Christophoro Culigio & Abrahamo Birnbaumio* salutatis hinc *Wittebergâ* appellatis *Marco Banzero & Conrado Victore Schneidero* clarissimis Medicis; inde *Altenburgo* ac ibi viso *Theodoro Reinesio & Medico & Philologo* insigni, ac *Josepbo Claudero, Lunæburgo, Hamburgo* Emporio Germaniæ celeberrimo, & *Lubeca* foederis Hanseatici & Civitatum Vandalicarum matre, *Bremâ*, per Comitatum *Oldenburgicum, Frisiam Orientalem Emdam* usq;, per *Transisulanam* ditionem *Amstelodamum* oculum Bataviæ, ac in *Palladis & Hygieiæ officinam Leidam* se contulit. Nimirum ut ibi amplum illud & ingenti sumtu structum *Theatrum Anatomicum* varijs hominum & brutorum sceletis refertum; *Bibliothecam* varijs manu scriptis Codicibus & alijs Ceimelijs ditatam, ad *Hartum*

tum Medicum varijs plantarum exoticarum exemplis dotatum, oculis paret: atq; insuper magni nominis Medicis *Adolpho Verstio, Adriano Falcoburgio, Othoni Heurnio* magni illius *Johannis Filio & Johanni Walæo* assurgeret, atq; miraculis seculi nostri *Salmasio, Heinsio & Boxhornio* innotesceret. Otio Caniculari per *Hollandiam Australem & Bemsteram Hornam* usq; & *Enchusam* animi gratia excurrit, ubi Admiranda Utriusq; Indiæ, imò totius Orbis divitijs referatissima in domo *Paludani Medici* contemplatus est. Quæ olim vir summus *Hippolytus à Collibus* hoc succincto Disticho ita extulit:

*Quod mare, quod tellus, quod totus deniq; Mundus,
Una Paludani continet ista domus.*

Confecto hoc itinere Batavo aliud in *Brabantiam* suscepit, ubi *Antverpiam* pulcherrimam Urbium Belgicarum, *Bruxellam* sede Regiâ celebrem, & *Lovanium* vetustam illam Studiorum Matrem *Lipsij, Puteani & Vernulæi* Manibus & memoriâ celeberrimum salutavit. Hinc ingruente Autumno temperatiore *Ultrajectum* transiens, per *Cliviam, Coloniam Agrippinam* contendit; inde navigio *Rheni* ripam legens *Moguntiam* Sede Electorali claram, & *Francofurtum ad Mœnum* Electione Regia & Emporio incomparabilem, pervenit, ubi Medicis magni nominis *Petro de Spina* Patris sibi cognominis Archiatri quondam Archipalatini simillimo Filio, & *Johanni Schrædero* Chymico egregio probè innotuit. *Francofurto Darmstadtium, Heidelbergam & Argentoratum* perrexit, atq; hîc per Hiemem contubernio & convivio usus est Medici Experientissimi *Johannis Alberti Sebiziij, Melchioris Sebiziij* Filij non dissimilis: cujus Senis & grandævi *Rudolphi Salzmanni* colloquijs Medicis salubriter frui poterat. Ineunte vere *Argentorato Basileam* concessit, celeberrimos ibi Medicinæ Professores, præcipuè *Joh. Casparum Baubinum & Stuppanum* audivit, & *Felicis Plateri* Pinothecam opus admirandum lustravit. Hinc per *Montisbelligardum* in *Burgundiæ Comitatum Bisantium* metropolin ingressus, & hâc egressus in Ducatu *Burgundiæ*, qui Regi *Galliæ* paret, metropolin *Divionum* perrexit, eodem ferè momento quo Rex *Gallarum*, Christianissimus *Ludovicus XIV.* capto *Belligardo* triumphans eandem Urbem cum Eminentissimo Cardinale *Julio Mazarino* Supremo *Gallicarum* rerum Ministro, ingressus est; postea per *Tricastios Augustobonam* (quam alij *Trojam* vocant) *Lutetiam Parisiorum* Urbem & magnitudine, & populositate & ingenijs illustribus immensam & incomparabilem, ac *Galliæ* totius compendium, profectus ubi præter innumera alia visu dignissima etiam Medicorum domicilia & Officinas petiit, imprimis *Anatomicorum Principis & venerandi Senis Johannis Riolani & Guidonis Pati-*

visitavit. Ex Urbe Gallorum maximâ in *Normanniam Rothomagum* exspatiatus est, & mense præterlapso per *Borbonium & Nivernium* agros *Lugdunum* iter fecit, ubi Clarissimi Medici *Caroli Sponii* (qui hic *Vratislaviæ* civem & Mercatorem habet *Paulum Sponium* fratrem Germanum) consuetudine familiari usus est. Exinde secundo *Arari*, mox *Rhodano*, *Viennam*, *Valentiam*, *Avenionem*, celebres *Academias* invisit, ac ob grassantem in *Langvedociâ* pestem periculoso itinere per *Nimesium* Amphitheatro clarum, in *Academiâ Montispeffulanam* ab aliquot seculis studio Medico famosam se contulit; ubi *Hortus Medicus* sumptibus Regis *Henrici IV.* ditatus, studio & opera *Andree Laurentij* Medici consummatissimi cultus & ornatus est. Ibi quotidie disputantes de abstrusis *Rerum Medicarum* arcanis summos Medicos *Richarum de Belleval* *Academiæ* illius *Cancellarium*, *Jacobum Courtaudium* *Decanum Collegij Medici*, *Lazarum Riverium* *Chymicum*, *eximium*, *Jacobum Durandum*, *Petrum Sanchium & Franciscum Soligniacum* singulos suo loco & nomine præstantissimos Doctores vidit, attentè audivit & observavit. Illic etiam aliquoties occasione temporis æstivi plantarum rariotum videndarum causâ ad *montem Ceti & mare mediterraneum* adjacentes, *Thermasq; Baylerucanas* digressus est. Sed ingruente Autumno cum jam temperatior est Aër è *Gallia in Italiam* proficisci libuit & mari mediterraneo se credens cum socio & fido Achate *Johanni Vdalrico Widholtzio* in *Rep. Augustanâ* *Physici Ordinarij Danielis Filio*, & *Martino Christophoro Metzgero* utroq; nunc *Medicinæ Doctore*, secundo vento *Genuam* appulit, & post aliquot septimanas in *triremi Liburnum* & inde *Pisam* *Academiâ* & *Horto Medico* celebrem; inde *Lucam* *Reip. Imperio Romano* adhuc obnoxiam, mox pulcherrimam *Civitatum Italicarum Florentiam* planè sui nominis & *Senas* divertit. Vicinam tandem *Romam* quondam *Imperij* nunc creditam *Pietatis* sedem, durante adhuc anni secularis sive *Jubilæi* festivitate properavit; ubi *Pontificis Maximi* majestatem, *Eminentissimi Purpuratorum Patrum Collegij* auctoritatem & totius *Hierarchiæ* celebritatem spectavit: ac juxta viva virtutum simulachra curiosâ mente & oculis emissitij, monumenta supulchrorum, *Lapidum & Statuarum*, partim restaurata, partim inter rudera vetustatis desita, observavit. Vilâ autem & perlustratâ Urbe per *Umbriam & Spoletanum* agrum, per *Apennini dorsum* ad *Templum Lauretanium* veteri *Ephesino* opibus proximum, contendit; inde *Anconam* ad *littus Adriatici maris* confecto itinere, *Bononiam* antiquam *studiorum Matrem*, ac *Ferrariam* olim *Estensium Principum* sedem digrediens, tandemq; *Venetias*, *Libertatis antiquæ Custodes*, & *Patavium* *Academiâ* & præcipuè *Facultate Medicâ* no-

mina-

minatissimam *Patronam* suam magnam pervenit. Hic enim per integram hiemem commoratus, absolutissimos *Rerum Medicarum Mystas*, *Benedictum Sylvaticum* *Senem Effoctum* & penè emeritum, *Fortunium Licetum*, *Claudium Berigardium*, *Antonium Molineum*, *Petrum de Marchetis*, *Franciscum Antonium Bonardum*, aliosq; *Philosophos & Medicos* audivit, vidit, & usibus suis adhibuit. Quibus addidit *Johannem Rboium* *Daniæ suæ* surreptum *fidus*, *Polyhystorem* & omnigenæ eruditionis *Mystagogum*, *Germanorum* singularem *Patronum*. Hoc hiberno tempore *Patavij* præcipuè in *Theatro Anatomico* frequens *sectionibus humanis* adfuit, ac *studiorum suorum* rationem ad futurum *Examen publicum* pro summis in *Arte Medicâ Doctrinæ* cum laude impetrandæ *Honoribus* instituit. Quo publico *Examine à Collegio Medico* approbatus *meritissimo* suo anno **1651.** quinquagesimo primo *VI. Cal. Apr.* *Honoribus* illis publicè ornatus est. Accepto gradu in *Patriam* reversurus per *Trevisanam Marchiam*, per *Alpium frigora* *Oenpontem* *Tirolensis Comitatus metropolin* devenit, ubi *Clarissimus Medicus & Chymicus Serenissimi Archiducis Ferdinandi Caroli Archiater Osvaldus* illi visus est, Exin *Augustam Vindelicorum Urbem* inter multa alia egregia etiam *Collegio Medico* nobilem, visu dignissimam perlustravit; cujus potiora membra illius salubris corporis sunt *Johannes Henisus & Daniel Widholtz* quibus admodum gratus fuit, Nam cum *Widholtz* filio, ut supra dictum est, *Medico Doctore* exteras terras invisit. *Henisus* vero *Comes Palatinus Cæsareus*, *Eques S. Marci*, & *Physicus Augustanæ Reipubl. Ordinarius* *Sachso Juveni Doctore* ob virtutem & eruditionem singularem *Filij* instar sibi, ut ait, *dilectissimo*, hoc charactaceum paterni affectus monumentum in *Albo* inseruit:

BUCRETIO - SACHSI sate sanguine
Ingens Hygeja, tum Sophiæ decua
Virtutis exsertans aristas
Judicij vegetiq; fructus.
Quas comparâsti divitias catus
Peregrinando Numine præstite,
Nunc publica Rei atq; Privæ
Divite Pansophiæ canistris.

Et

Et sic a vita laudis adorea

Claresce, Daphne tum propria vire,

Et possideto sempiternos

Usq; Dei atq; hominum favores.

Augusta Noribergam movit, ubi tum conventus erat Cæsaris & Reginae Svecorum per plenipotentes Legatos, de expediendis & ex sequendis Pacis Offbrugio - Monasteriensis constitutis sanctionibus; ubi non tantum apparatus splendidos, aliaq; pompa vidit, sed etiam insuper *Johanni Georgio Fabricio* Comitum Palatini Caroli Gustavi & Ducis Amalfini Archiatro & Poliatro Norico innotuit. Et sic tandem *Coburgum* & *Lipsiam* ac exin in Patriam inæstimabilibus Scientiæ, Prudentiæ & morum mercibus onustus, ad suos Parentes, Cognatos, & Amicos desideratus diu reversus est. Ex hac, *Sponsa Elegantissima*, prolixâ narratione quid aliud percipis quam quod una terra non omnia Ingenia, nec omnes artes sola contineat, sed sub diverso polo & solo, terra mariq; singula quærenda & in suum utum, hinc inde colligenda esse. Habet enim hoc commodi vera Peregrinatio, quod fas sit scientiam, prudentiam & mores miscere & temperare. Ut enim in Musica è diversis vocibus concentum quærimus & probamus; sic in doctrinæ & vitæ modo concinnam è varietate rerum Harmoniam. Ingenia etiam quædam in aliam terram traslata proficiunt; & ut fœminæ interdum in priore Conjugio steriles, alijs postea viris conjugatæ concipiunt; sic illa mutatione sideris & soli, & sub alio alioq; doctore fœcundantur. Hæc itaq; variarum rerum Harmonia & Concentu appposito, *Sachsus* domum sibi redeundum esse putavit. Quia vero Pittaci Mitylenæi Sapientis Judicio, etiam similitudo generis, patriæ, ætatis, facultatum, & morum in Conjugio ineundo attendenda, hæc in re utriq; parum aut nihil differre puto. Nam ut *Sachsio* maternum genus est Medicum ab Avo magno olim Vratislaviæ suæ Pæone & Archiducali Archiatro *Dantele Bucretio*, ejusq; filio cognomine, qui in Italia *Adriani Spigelij* Anatomici olim Patavini Operum Posthumorum datus fuit Curator, postea *Parisis* rem medicam summâ cum laude exercuit: ita, *Sponsa*, tuum quoq; genus maternum est Medicum. Nam Avus tuus vir clarissimus & Medicus Experientissimus JOHANNES HENNE-MANNUS cum *Sachsij* tui Avo Vratislaviæ Praxin Medicam uno tempore exercuit, & Anno hujus seculi decimo quarto fato functus *Bucretium* antecessit,

antecessit, qui demum hic vigesimo primo anno Bucretius in communem hinc mortalitatis locum secutus est. *Johannes vero Hennemannii* Medici Avus *Sebastianus*, & Avus maternus ex *Hungrorum* familiâ oriundusambo superiori seculo Vratislaviæ amplissimi Senatores fuerunt. Medicus vero ille defunctâ primâ Uxore *Uthmannâ*, *Vratislaviâ Pragam* in Augustam Divi Rudolphi II. Imp. Aulam tanquam Augustalis Archiater secessit; sed validis de causis postea *Glatzium* illius Comitatus Ordinum arbitrio Medicus Ordinarius electus discessit, atq; ibi alteram Conjugem ex familiâ HULDENREICHIORUM ortam duxit. Hæc *Huldenweichia familia*, quæ tot clarissimos in Aulis Principum, curijs & Dicasterijs Jurisconsultos, Medicos, & Senatores dedit minimè gentium est prætereunda. Inter illos, quorum virtutes posteritas admiretur & imitetur, ut Luna præ cæteris stellis fulget, nobilissimus amplissimusq; vir DAVID HULDENREICHIUS in supremo Justitiæ Imperialis domicilio & asylo, quod *Cameram Imperij Spirenses* vulgo vocant, à *Secretis* fuit. Monumenta etiam victura & mansura passim memoriæ ipsorum erecta, prædicant excellentissimos Duumviros Medicos ESAIAM & JOHANNEM HULDENREICHIUM Fratres Germanos, gloriosissimæ memoriæ Rudolphi II. Cæsaris olim Chymicos celeberrimos, & Magnificum insuper PAULUM HULDENREICHIUM Celsissimi Würtembergiæ Ducis Cancellarium meritissimum: nec non amplissimum Virum JOHANNEM HULDENREICHIUM Consulem in initio in Poloniâ *Fraustadiensis* & postea Spectatissimum Reip. Glacensis Syndicum & hujus filium Proavum Tuum *Sponsa* JOHANNEM HULDENREICHIUM, qui Patri in officio apud Glacenses successit, eoq; multos annos præclare & cum summâ laude functus est. Nec silentio prætermittendus est JEREMIAS HULDENREICHIUS à *Lilienfeld* Medicus Namslaviensium meritissimus, & multarum rerum usu atq; experientia ornatissimus. Quare (ut ad *Johannem Hennemannum* Medicum revertar) ex HULDENREICHIÀ SUSANNA omni matronalium Virtutum ornatissima fœminâ, elegantissimæ Virginum *Sponsa* *Sachsiana* Mater nata est. Quæ primum Consultissimo Amplissimoq; Viro JOHANNI BENCKIO Jcto, atq; Cos. & Syndico Namslaviensi (ex quo Conjugio bellissima illa Rosa *Sponsa Sachsio Sponsa* provenit) postea Viro Magnifico ANDRÆ LANGIO à *Langenau* vero illustrissimæ Domus Ligiz & Bregensis Nestore, nec non Principum & Statuum Superioris & Inferioris Silesiæ Syndico feliciter nupta; de quo Patriæ totius nomine voveo & precor, ut serus in cœlum redeat, atq; ex communi bono integer & incolumis

Iliacos aquare Senes, aut vincere possit!

Quod vero ambo Sponsi è domo Sapienti & Medicâ prodeant, & idem vitæ genus sint culturi, hæc res sanè admirabilem vitæ & morum concentum reddit; & tales ex hoc Conjugij Medici plantario, quales ex gemino illo avito olim provenere, furculos & plantas ejusdem coloris, odoris & saporis speramus & expectamus. Quod si à forma etiam similes Sponsos commendare licet, *Sachsum* Rosæ florum Regina, *Benckiam* malo pulcherrimo: *Illum* Oleæ semperfloranti, *hanc* palmarum fertili assimilemus. Antiquum est dogma: *Similia Similibus cognosci: amorem ex amore prodi.* Ut ova ovorum, apes apum, Lac Lactis, nix nivis simillima sunt; ita quoq; amabile est Sponsorum Par: cujus utriusq; Lemma Symbolium est illud Ingeniosissimi Amandi magistri

— ut amèris amabilis esto.

Dies etiam ipsa Nuptijs præstituta AMANDI nomine in fastis insignita, vos ut ametis & redametis invicem monere videtur. Hanc utriusq; Sponsi similitudinem libet summatim exprimere versiculis hisce paulò immutatis:

BENCKIA SACHSIADÆ nubit formosa Medenti!

Maeste esto tadis, ò Hymenæe, tuis.

Tam bene rara suo miscentur Cinnama Nardo,

Massica Thesèis tam bene vina favis.

Nec melius teneris junguntur vitibus ulmi,

Nec plus Lotos aquas, Littora myrtus amat.

Candida perpetuo reside Concordia lecto,

Tamq; pari semper sit Venus aqua jugo.

Diligat ipsa Senem quondam; sed & illa marito,

Tunc quoq; cum fuerit, non videatur anus.

Quare cum hoc vestrum Nuptiale festum, *lectissimi Sponsi*, illustres genere, ingenio, virtute & dignatione vocati Hospites plausibus & gratulationibus ac poculorum in orbem factis libationibus, alij saltationibus & cantionibus sint ornaturi; ego omnium quidem sorte minimus, affectu tamen

tamen inter primos, votivis precibus, apud DEUM Satorum & Statorum Conjugij, ex penitè animi mente intercedo & FELICITER ingeminans acclamo, ut vos incolumes in serissimam usq; senectutem servet & sospitet. Ut tu, *Sponse*, velut Avum Ingenij & Eruditionis, ita simul Conjugij foecunditate æques; & tu, *Sponsa amabilissima*, ut sis aviti nominis, hoc est HENNEMANNA seu alba Gallina, tot pullos & tantos tuo & Sponsi Tui Avo pares parias, ut ex hoc gallinario tanta pullo- rum soboles & posteritas proveniat, quanta olim Liviar Augusti Conjugi alba Gallina (quam Augustæ in Vejetanum suum proficiscenti, prætervolans Aquila in gremium demisit) provenit. Hæc autem ut fiant vobis *Sponsi* sit triplex hic aheneus murus & munimentum in expugnabile, *Amor, Concordia & Fides.* Quantum gaudij ille consonus Conjugij tenor vestris Parentibus, Cognatis & Amicis sit allaturus humanæ Sapientiæ Fons Homerus perspicuè expresit: *Non eo, ait, quicquam præstantius aut melius, quam cum amicis concordibus vir & mulier domum administrant. Multi enim dolores invidis & malevolis & obliquis obtrektoribus; gaudia autem innumera sunt propinquis, amicis & benevolis.* Fruimini felices & auspiciati Conjugij Candidati, fruimini hæc civili beatitudine.

Dum res & atas, & Sororum

Fila trium patiuntur atra.

Nam quid hæc humana sunt, nisi perpetuæ jactationes; fluctus & æstus? Quam breve, exiguum & incertum est hoc, quo vivimus, spatium! quam vitrea & lubrica hujus fragilis & caduci corpusculi valetudo! Quam dubiæ spes nostræ & fallaces! Sed in hæc rerum humanarum inconstantia, & lubricitate, hæc vitæ incertitudine, magnum & solidum vel in parandâ animi tranquillitate est adminiculum, vel in paratâ firmum solatium. Nam licet Principes & omnium Ordinum homines sint mortales, tamen Respublica magna & pusilla, gentes & familiæ continua Hæredum successione sunt æternæ. Deniq; votivis hisce versiculis tanquam gemmâ sermonem hunc Nuptialem obsigno:

Conjugij Sator & Stator det cælitus omen

Constat ut hæc Medici copula Conjugij.

Sachsius ut Caja sit Cajus, Caja sit illi,

Et comes in lætis & sit uterq; malis

*Alba suos quondam pullos Gallina det albos
HENNMANNO similes convenienter Avo.
Et BUCRETIADÆ, gemino det Apollinis astro
Prolixam seriem posteritatis Avo,
Germina proveniant nostro Phœbeia seclo,
Terna viri sexu nomina, terna nurus.
Phœbigena Æsclepius, Podalirius atq; Machaon:
Quis vel tota tribus Gracia salva fuit.
Gloria Nympharum succedat nobilis Ægle,
Ac Hygieia, novis & Panacæa bonis
Frondeb; ut teneris annosa repullulat arbor;
Sic vestrum Medicum crescet utrumq; Genus.*

FIAT, JEHOVA, FIAT!

